



Societas Iesv Amatrix, Cultrix, Imitatrix, Christi Crvcifixi

Sandaeus, Maximilianus

Antverpiae, 1647

129. Vt expeditior sit ad Crucis prædicationem, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, conjicit in ignem, quæ, ut, thesaurum asservaverat, & habuerat, ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55449](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55449)

IMITATRIX CRUCIFIXI. 221

Brachium autem dextrum, cujus in manu duos digitos CRUCIS in modum conformaverat moribundus Amator CRUCIS, conati abscindere, non potuerunt. Postero die inventum est à Christianis corpus verso in terram pectore, eodem brachio, quod rescindi nequiverat, & in eo digitis, in CRUCIS formam aptatis, è terrâ in altum sublato, quasi ad tum etiam sustinendum CRUCIS vexillum, & Gentibus CRUCIFIXVM præferendum parato.

*Annua Societ. Mex. Ind. Oct. 1594. Benzoni
lib. 1. cap. 9. Iacobus Damian. in Synop. Societ.
lib. 3. cap. 32.*

IX.

AMATOR CRUCIFIXI

Vt expeditior sit ad Crucis predicationem, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, conficit in ignem, quæ, ut thesaurum asservaverat, & habebat carissima, scripta Philosophica & Theologica, ad subtilitatem spectantia.

AD hoc CRUCIFIXVS ipse aptavit
JACOBVM MARTINVM è CRUCE
colloquens. Is Theologiæ Liniano in
K 3 Gym-

129.
IACOBVS
MARTINVS
Hispanus.

Gymnasio dabat operam Societatis IESV Scholaris, homo nervosus ac valens. Ante CRUCIFIXVM prostratus, quid à se maximè exigat? quærit supplex. Hominum salutem respondente CHRISTO de CRUCE, simul Scripta omnia inijcit flammis. Mox levior, Spiritu impellente, & obedientiâ concedente, cum Sociis aliis in nemora se contulit, Indis salutem allaturus & CRUCIFIXI gratiam.

Inspirata ei & reliquis solertia multiplex est ad animarum culturam, quæ difficilior est, quàm corporum. Nativus illas vinciebat stupor: nec emicare sinebat obtusas: nec ab auribus ad intelligentiam trahere documenta salutaria CRUCIFIXI permittebat ruditas. Itaque data opera, ut ingenioso commento, oculis offerentur res fidei prius per imagines quibus faciliùs rudibus veritas insinuatur. Id ita fiebat:

Pingebatur CHRISTVS, ejusq; CRUX, lex, & quæ eò spectant alia in tabulis: inferni tormenta, quæ infideles ac inimicos CRUCIS CHRISTI manent, eorumq; horrorem minio expressæ flammæ ingerebant: cæli gaudia esculentorum & poculentorum grata species insinuabat. Ita multi ad CHRISTVM sunt adducti.

Epist. Indica Parva. Synopsis Societ. Iacob Damia. lib. 5. cap. 22.